



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De|| EXTREMA VNCTIO-||NE, ORDINE, ET MATRI-||MONIO.|| SINGVLIS LIBRIS  
EX-||PLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

VII. Subdiaconatum esse etiam Sacramentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54104)



## CAPVT SEPTIMVM

*Subdiaconatum esse etiam Sacramentum.*

**A**M verò de Subdiaconatu non est tanta certitudo, quanta de Diaconatu. Nam nec in Scripturis de eo fit mentio, nec eius Ordinatio habet manus impositionem, vt patet ex Concilio IV. Carthag. can. 5. nec Subdiaconi ministrant Eucharistiam, aut alia facere possunt, quæ Diaconi: & demque non pertinent proprie ad Hierarchiam, nisi vt ministri Hierarcharum.

Est tamen valde probabile, etiam hunc Ordinem esse Sacramentum; tum quia videtur imprimere characterem, cum sit initerabilis; tum quia habet anuexum solenne votum continentia; tum denique, quia hæc est communis Theologorum sententia, antiquorum & recentiorum, vno Durando concepto, & Caeterano.

Sunt autem contra hanc sententiam duo argumenta. Primum est, quia Subdiaconatus olim nõ erat Ordo sacer, sed postea factus est à Pontificibus, vt aperte testatur Innocentius III. cap. A multis, de atate, & qualitate, & ordine præficiendum, & idem Innocentius III. cap. Miramur, extra, de seruis non ordinandis: & Urbanus II. can. Nullus, dist. 60. Vnde Magister, lib. 4. dist. 24. dicit, Subdiaconatum, & Ordines minores ab Ecclesia introductos, cum Apostolorum tempore non fuissent.

RESPONDEO, non esse idem, Ordinem sacrum, & Sacramentum: multi enim existimant, Ordines minores esse Sacramenta, cum tamen non possint eos vocare Ordines sacros, Vt enim rectè docet Magister loco notato, omnes Ordines sunt sacri, sed primi tres dicuntur per excellentiam sacri, quia proximè contingunt res sacras Presbyter enim Eucharistiam cõsecrat, & ministrat. Diaconus defert eam: Subdiaconus sacra vasa contingit, & præbet.

Olim tamen Subdiaconis non licebat tangere sacra vasa, vt patet ex Concilio Laodiceno, cap. 21. & ex can. Nullus, distinct. 24. qui ex decretis Syluestri sumptus est: & ea ratione non dicebatur Ordo sacer. Nec ex Ordine Subdiaconorum poterat eligi Episcopus, sed tantum ex Ordine Presbyterorum,



rum, & Diaconorum: tamen postea concessum est Subdiaconis, tangere sacra vasa, vt patet ex can. Non liceat, dist. 23. & cœperunt etiam ex Subdiaconis eligi Episcopi, vt patet ex Innocentio, & Urbano locis notatis.

Quod autem Magister dicit, Subdiaconos ab Ecclesia introductos, nō sic debet intelligi, quasi Ecclesia eum Ordinem instituerit; sed videtur Magister existimasse, vsum horum Ordinum non cœpisse tempore Apostolorum, sed postea, quōd videlicet antea ob fidelium paucitatem, nō essent tot Ordines necessarij. Sed neque hoc videtur esse verum: nam sanctus Ignatius, qui tempore Apostolorum floruit ferē omnium Ordinum meminit, in epist. ad Heronem & in alia ad Antiochenos.

SECUNDVM argumentum, Subdiaconi poterant ordinari à Chorepiscopis, vt patet ex Concilio Antiocheno, can. 10. At Chorepiscopi erant simplices Presbyteri, qui Ordinis Sacramentum conferre non possunt; igitur Subdiaconatus non est Sacramentum Ordinis.

RESPONDEO, duo fuisse genera Chorepiscoporum (vt diximus in disputatione de Clericis) quorum alij erant veri Episcopi, sed in aliena diœcesi morabantur, vt nunc in Germania Suffraganei, & de his loquitur Concilium Antiochenum; alij erant solum Presbyteri, & ab his negat Damasus epist. 4. posse ordinari Subdiaconos.

### CAPVT OCTAVVM.

#### *Minores etiam Ordines Sacramenta esse.*

**D**ENIQUE, de minoribus Ordinibus, minus probabile est, quōd Sacramenta sint, quā de Subdiaconatu; nam neque est ita communis sententia, sicut de Diaconatu, & Subdiaconatu; & certum est, leuiora esse munera horum Ordinum, quā superiorum.

Absolutè tamen probabilior sententia est, quæ Ordines omnes Sacramenta esse docet, quā ea, quæ id negat. PRIMO, quia id asserunt omnes veteres Scholastici, Durando excepto. ET ex recentioribus grauissimi quique, vt Fran-

DD 4

ciscus